

sequentia. Non sequitur: Deus est in templo, Cœlo. E. ibi in angustum est coactus. Quando enim Deus est in omni loco, non ei statim propriè dicta tribuitur localitas, sed modus saltim existendi Dei in omni loco repletivus indicatur.

§. XXXV. (4) *Deus non est mutabilis ratione cognitionis*, cum quis cognoscit, quod antea ignorabat, aut verum esse nunc deprehendit, quod antea falsum esse putabat. Nam juxta Hebr. 4. v. 13. Vivus est sermo Dei & efficax & penetrantior quôvis gladiò ancipiti. Nec est ulla creatura non manifesta in conspectu ipsius, imò omnia sunt nuda & intimè patentia oculis ejus.

§. XXXVI. (5) *Deus non mutatur quoad decretum seu voluntatis propositum*. Quia si ejusmodi mutabilitas in Deum caderet, vel profectura esset ex defectu scientiæ, vel ex inconstantia voluntatis; quod utrumque Dei perfectioni repugnat. Deus igitur quoad voluntatem sibi semper constat, & quod semel decrevit, ex parte ipsius nunquam mutabitur. Quod verò tali modo Deus non sit mutabilis probamus ex Scriptura, & quidem Num. 23. 19. ubi dicitur: Deus non est homo qui mentiatur, aut filius hominis, quem poeniteat; an ipse dixerit & non faciet, an loquutus fuerit & non præstabit illud? Hisce calculum suum addit D. Ambrosius, quando in lib. 2. de vocat. Gen. c. 10. ita scribit: Non est in Deo accidens motus, aut nova voluntas, aut temporale consilium, nec cogitatio ejus cum rerum mutabilium inæqualitate variatur.

Contra hæc Vorstius argumentatur ita: Quicumque non rarò poenitudine ducitur eorum quæ fecit, ille, ratione voluntatis non dicendum est simpliciter immutabilis. Atqui Deus &c. E. Min. probatur Gen. 6. v. 6.

Resp.